

296

294

300

290

305

285

ibi fratres XXIII, Domino sub regulari vita famulantes. Propter  
insultus autem et iram paganorum habent portam ferream  
et juxta eam canes iracundos et rabidos in exteriores, qui vigi-  
lant et insidias inferre volentes latrando produnt die ac nocte,  
Et tantum de his.

Incipit visitatio locorum ecclesiae Golgatanae dominici  
sepulchri, et ipsus sancti monumenti.

Quarta decima die, incipiendo diem a praecedentis diei  
vespera, quia et illo ordine processio ad sancta loca ordinatur,  
cum sol ad occasum tenderet, denunciatum fuit omnibus pere-  
grinis, quod se statim ad atrium seu plateam, quae est ante  
ecclesiam sancti sepulchri praesentarent, et cum coena se citius  
expedirent, quia domini Mauri sanctae ecclesiae clavicularii  
nos ibi exspectarent. Acceleratis ergo negotiis et acceptis  
rebus, quibus uti volebamus, ad atrium praefatae ecclesiae de-  
scendimus, et invenimus in eo magnum tumultum hominum  
Christianorum orientalium et Sarracenorum, mulierum, puero-  
rum et virorum. Mercatores etiam pretiosarum rerum ibi sede-  
bant et vendebant, et quidam panes, ova, et uvas venalia ha-  
bebant, de quibus pro collatione intus sumenda emimus ad  
sacculos nostros. Igitur cum domini Sarraci omnes (**109A**)  
ad ecclesiae apertione pertinentes adessent ad ostium templi  
sancti, se locaverunt mature et seriose. Sunt autem ante  
januam in utroque latere positi lapides grandes de polito  
marmore pro scannis, in quibus versis vultibus sederunt. Erant  
autem viri personati, senes, decori, barbati et pomposi, byssi-  
nis induiti et capitibus multiplici circumvolutione subtilissimi  
lini operti. Congregatis autem nobis omnibus ad eos fores  
ecclesiae aperuerunt clavibus, et stantes binos et binos intro-  
miserunt, numerantes nos, sicut fecerunt, quando de navi in  
terram egressi sumus, ut supra patuit, et acutissime nos inspi-  
ciebant. Dicitur enim de eis, quod peritissimi in illa arte  
Visconomiae sint, et quam cito hominem inspiciunt, suas con-  
ditiones, complexiones et inclinationes agnoscunt. Cum vere-  
cundia ergo et rubore eos pertransivimus, quia confusio magna  
est, quando Christi fideles et cultores per Christi blasphematores

Ende

Anfang

